



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 86. Hispanorum postulata circa morum emendationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæcul. XVI. dignatus præcepit, ut nonnisi de rebus
A.C. 1551. ipsi propositis verba faceret. (*)

§. LXXXVI.

*Hispanorum postulata circa morum
 emendationem.*

Cum insuper Franciscus Toletanus Legatum impense rogaret, ne decreto quicquam in præjudicium jurium Regni Hispanici infereretur, Legatus huic Oratori respondit: „equidem Episcopis permittitur, ut suas sententias proferant de mediis, quæ ad tollenda obstacula Prælatorum residentiam præpedientia magis necessaria censentur: verum ea, quæ modum excedunt, haud petant, sed potius ea postulent, quæ concedere honestas suadet.” Hæ Episcoporum sententiæ tradebantur Francisco Toletano, qui eas ad unum articulum redigens Legato consignabat, quam-

(*) Mirum sane, quod Nicolaus Pissæus in sua collectione Actorum Concilii Tridentini de conficta hac injuria ipsi a Legato illata nullam omnino mentionem fecerit: præterea epistolæ unius privati ad alium scriptæ, cum plerumque privatis etiam odiis obnoxie sint, vix tantam merentur fidem, ut in illis contenta pro veritate minime dubia venditentur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1551.

quamvis nunquam publici juris fierent: interim id unice ex Francisci Vargas literis compertum habemus, ab Episcopis fuisse petatum, ut restauratis Provincialibus Conciliis beneficia conferendi jus solis Episcopis, excluso Pontificis consensu adfriberetur. Recitat insuper idem Vargas Regii Senatus Castellani literas, in quibus de pluribus corruptelis quærelæ ingeminantur, simulque Carolus V. Imperator sollicitatur, ut horum abusuum correctionem a Papa postularet. Hos inter recensentur beneficiorum curatorum, ut vocant, pluralitas, Commendæ, Coadjutoriæ, plurium beneficiorum unio ad dies vitæ, regressus, expectativæ, beneficia jure quasi hæreditario aucupandi artes, secretæ, ac dolosæ resignationes, beneficia exteris conferendi usus, exemptiones ab Ordinarii jurisdictione, ac denique Judices Conservatores eligendi privilegium Ecclesiasticis coetibus concessum. Insuper postulabatur, ut Papa Inquisitionis Officium sua fulciret auctoritate, nihilque illius firmitati contrarium concederet.

§. LXXXVII.

Reformationis articuli Hispani Oratoris impulsu suppressi.

Præterea probe notandum, quod inter